



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De desiderio patriæ cælestis, & summa ejusdem felicitate, 14

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

quem astutum fecit tam natura subtilis, quam
longa exercitatio malitiæ hujus.

CAPVT XIV.

*De desiderio patriæ celestis; & summa
ejusdem felicitate.*

I. **E**Ripe me de inimicis meis, Deus meus,
& ab his qui oderunt me: quoniam
confortati sunt super me. Ego vero, qui us-
que ad hunc diem contra me vixi, jamjam
per tuam gratiam mihi vivere incipiam. Sic
enim in hoc mundo vivere debemus, ut cum
corpus cœperit à vermibus devorari in sepul-
chro, anima lætetur cum Sanctis in cœlo. Il-
luc spiritus dirigendus est, quo est iturus. Il-
luc festinare debemus, ubi semper vivamus,
& ubi mori amplius non timeamus. Si sic
amamus istam labilem & caducam vitam,
ubi cum tanto labore vivimus, ubi comeden-
do, bibendo, dormiendo, vix carnis necessi-
tatibus satisfacimus: multo magis amare de-
bemus vitam æternam, ubi nullum laborem
sustinebimus, ubi summa semper jucunditas,
summa fœlicitas, fœlix libertas, & fœlix
beatitudo; ubi similes erunt homines Ange-
lis Dei, & fulgebunt justi sicut Sol in regno
Patris eorum. Qualis putas tunc erit splen-
dor animarum, quando Solis splendorem
habebit lux corporum? Nulla erit ibi tristi-
tia, nulla angustia, nullus dolor, nullus ti-
mor, nullus ibi labor, nulla mors: sed perpe-
tua sanitas semper ibi perseverat.

2. Non suggerit ibi malitia, nec carnis
miseria,

miseria, nulla est ibi ægritudo, nulla omnino necessitas: non est ibi fames, non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo jejunii; nec ulla tentatio inimici, nec peccandi voluntas, nec delinquendi facultas: sed totum lætitia, totum exultatio possidet: homines quoque Angelis sociati, sine ulla carnis infirmitate in perpetuum manebunt. Ibi erit jucunditas infinita, beatitudo sempiterna; in qua, qui semel suscipitur, semper tenetur. Ibi est requies à laboribus, pax ab hostibus; amœnitas de novitate, securitas de æternitate, suavitas atque dulcedo de Dei visione. Et quis non illic habitare vehementer desideret, & propter pacem, & propter amœnitatem, & propter æternitatem, & propter Dei visionem? Nullus est ibi peregrinus, sed quicunque illuc venire merebuntur, securi in propria patria manebunt semper læti, & semper satiati de visione Dei. Et quanto plus aliquis hic Deo obediens fuerit, tanto ampliorem ab eo mercedem ibi recipiet: quantoque amplius Deum amabit, tanto propius videbit, quem cernere cupit.

CAPVT XV.

De brevi vita hominis.

I. **D**ies hominis sicut umbra super terram, & nulla est mora, & tunc proprie nihil est, cum stare videtur. Cur ergo thesaurizat in terra homo, cum sine dilatione transeat, & illud quod colligitur, & ipse qui colligit? Et tu homo, quem fructum expectas